



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Difficultatis 1. Quid definitivè substantia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Gregor. Nazianz. Orat. 12. & Damasc. lib. 1. a. 8. etiam nomen *oia* à DEO secernebat, eo quod nomen substantiæ importet rationem subiectantem accidenti; DEUS autem accidentium capax non est. Vide August. 1. 7. de Tr. c. 5. Rursus Athanas. Epist. ad Afric. *Hypostasis aut est una.* Similia habet Orat. 5. contra Arrian. Cyrillus Hieros. Cat. 6. ait *DEVM esse multinominem & omnipotentem & unius modi hypostasis.* Concilia tamen Constantinopol. I. Chalcedon. II. distinxerunt illas voces & ante illa Dionis: Areopag. c. 2. de Ecclesiast. hierarchia, ubi de baptismo loquens, *rer inquit ipsum mergit Aristes, ad tres ejus qui initiatur demersiones, & emersiones trinam Divinae felicitatis invocans hypostasin.* Gregor. Nazianz. Orat. 72. dicit de Deo, unum esse Usia, trinum hypostasis. Quia ipsa in re duplex fuit controversia, primâ merè græca, an idem sit Usia & hypostasis, alia autem controversia fuit de latina translatione an idem esset Usia & latinum substantia, an idem hypostasis & persona seu substantia. De hac secunda citatus Hieronymus discurrebat. *Interrogamus, inquit, quid tres hypostases, esse arbitrentur, intellige tres Personas subsistentes, ajunt, respondemus nos ita credere.* Et subdit, nihilominus taceantur tres hypostases si placet, & una teneatur.

Punctum Difficultatis I.

Quid definitivè Subsistentia?

PRÆMITTO I. *Quid sit esse individuum seu substantiam primam?* revocòq; breviter aliud esse individuum primò intentionaliter de quo egi de Unitate, aliud individuum, secundò intentionaliter de quo in Logicis, utroq; modo sumptum concipi potest & tanquam aliquid positivum, & tanquam aliquid negativum. Individuum primò intentionaliter positivè tamen acceptum, est ipsa entitas, radix indivisionis in aliud se, negativè autem acceptum, est ipsa negatio divisionis in aliud se. Individuum secundò intentionalit. r positivè acceptum, est id quod subest speciei & prædicatur de uno. Negativè autem acceptum, est id quod non prædicatur de multis. Ex hoc autem collige individuum involvere incommunicabilitatem: nam nec plura esse, nec de pluribus prædicari potest. Et quia incommunicabilitas opponitur communicabilitati quot modis dicitur communicabile, tot modis dicitur incommunicabile individuum: jam autem communicabile aut communicatum, aliud est communicabile alteri, ut subiecto inhaesionis, & sic est accidens. Individuum autem quod est Petrus, non potest esse accidens, aut est communicabile alteri ut inferiori, & sic individuum incommunicabile est, quia nil habet se inferius, aut denique est communicabile ut toti, & hoc repugnat individuo, si per se stet. Porro individuum spectare ad rationem Personæ, colligi-

tur ex proportionē & habitudinibus utriusque, sicut individuum, non potest prædicari de pluribus, sic nec Persona, individuum dicit incommunicabilitatem, dicit & Persona. Hinc S. Thom. 3. q. 3. art. 1. ad 2. Personam dicit appellari incommunicabile, quia non potest prædicari de pluribus. Rursus individuum coincidet cum particulari, rationem autem Personæ coincidere cum particulari infra videbimus. Deniq; individuum infert incommunicabilitatem, infert & subsistentia, quæ neque potest communicari alteri ut subiecto per modum accidentis, neque ut inferiori, cum non sit universalium, neque communicari potest toti ut pars, quia est rei totalitas ut dicitur.

PRÆMITTO II. *Quid sit habere rationem totius;* Explicatur hoc imprimis in sententia Aristotelis, qui 5. Metaph. ait: *Totum est à quo nulla pars abest, eorum ex quibus totum natura dicitur.* Rursus quid sit habere rationem totius bene explicatur per negationem partis, seu per non habere imperfectiones partis, quæ omnia explicat Philosophus ibid. t. 30. *Partes esse ex quibus totum componitur aut in quas aliquid dividi potest, sive hoc sit quantum ut duo respectu trium, sive non quantum quomodo genus est pars speciei, unde ulterius intererat infinitum quod appellabar, accipere extra, habere potius rationem partis, sicut enim pars, est id propter quod in toto est aliquid accipere extra.* Numerat Aristot. imperfectiones partis has; I. perfectione & entitate minorem esse toto, H. habere se ad totum ut materiam ad formam ex 2. Phys. t. 31. III, quod se habet ad totum sicut habitum ad habens ex 5. Metaph. tex. 29. & quod inde sequitur pars non est sua sed totius, habeturq; non habet. Unde etiam dicit t. Polit. c. 3. *Pars, inquit, non solum est alterius, sed etiam omnino alterius, ut servus non solum est ad dominum, sed omnino Domini.* IV. quod esse potius toti competat quam parti ex 2. Metaph. t. 46. & quia partes sunt potius inchoatio entis quam ens, totumq; respectu illarum, habet rationem completi & integri. V. Quod illam esse unitam melius sit ipsi, hinc etiam communicabilis est, perficiturq; in toto. Denique partis non est agere sed totius ex 1. de Anima t. 64. Porro rationem substantiæ non habere rationem partis, ex antiquioribus docet Theodorus Abucara Opusc. 29. Hinc inter notas hypostasios censet, quod hypostasis inquit, non sit pars, & subdit, *non sufficit naturam componi ex propriis notis ad constituendam hypostasin, sed ad hoc concurrere insuper oportet ut non sit pars.* S. Thom. Opus 2. contra Græcos c. 6. rationem reddit cur manus in homine non habeat rationem subsistentis, quia habetur à toto. Sed de hoc loco infra. Similia habet in 3. d. 5. q. 1. ar. 3. ad 3. & q. 2. a. 2. ad 2. ubi rationem reddens cur anima separata non sit Persona, quia potentia est pars. Et Leonti Bizantius lib. adversus Nestorium & Eutich. similia habet.

† P 3

PRÆ-

PRÆMITTO III. *Quid sit habere rationem perfecti*, quod explicat Aristoteles 5. Metaph. c. 16. perfectum est illud, extra quod, non potest ulla accipi particula, velut tempus, uniuscujusque perfectum hoc dicitur extra quod non potest ullum tempus accipi, quod pars sit istius temporis, & subdit infra. *Unumquodque enim tum est perfectum, & omnis substantia tum est perfecta, cum secundum propriam virtutis speciem, nulla deest pars ejus magnitudinis, quam natura sua requirit.* Ly autem magnitudo sumitur hic non pro quantitate, sed pro tali vel tali connexione prædicatorum. In idem recidit doctrina Aug. qu. tr. 102. in Joan. *Plenum, inquit, tantum est, ut aliquid ei jam non sit addendum*, unde colligis rationem perfecti coincidere cum ratione totius, licet sint aliquomodo distincta. Notat autem Petavius lib. 5. de Incarn. c. 8. n. 6. Perfectum in triplici differentia sumi ab Aristotele: I. perfectum in quantitate hocque describit. Perfectum inquit est extra quod nulla est pars illius. II. Perfectum in qualitate, quo nihil est in aliquo genere præstantius, quomodo dicitur perfectus medicus. III. sumitur perfectum per ordinem ad finem. Ea enim quæ finem suum obtinent, perfecta dicuntur terminataque. Jam autem ad hypostasim pertinere ut sit ratio perfecta, docet expressè S. Thom. loco citato contra Græcos: *Humana, inquit, natura in Christo non est accidens sed substantia, non universalis sed particularis, nec tamen hypostasis dicitur, quia assumitur à principaliori.* Idem habet 3. p. 9. a. 2. ad 3. Ubi præ ratione redditur manus non sit Persona, quia non per se existit, sed in quodam perfectiori, scilicet in toto, his præmissis.

DICENDUM EST: *Subsistentiam esse substantiam primam seu primum individuum prout dicit rationem totius & perfecti.*

PROBATUR I. Methodo resolutiva. Subsistentia non est nihil, subsistentis enim differre, non est nihilo differre. Si autem subsistentia est ens, ergo est vel accidens, vel substantia, non est accidens, quia aliàs non esset completivum substantiæ in esse per se stantis, si ipsa non potest stare, nisi in alio sicut accidens. Si autem est substantia substantia, ergo vel est substantia prima vel secunda, sed non est substantia secunda, quia hæc est universalis, communicabilis, prædicabilis de multis, quæ omnia subsistentiæ non conveniunt. Rursus cui competit esse substantiam, vel est pars, vel totum, subsistentia non est pars, quia illi non competunt imperfectiones & prædicata partis supra recensita, ergo est subsistentia dicens rationem totius, adeoque & perfecta atque adeo colligendo in unum divisiones. Erit substantia prima, prout dicit rationem totius.

PROBATUR II. Quia enumerata prædicata conveniunt subsistentiæ quæ tali, omni, soli & semper proceditque definitio per talia prædicata, quibus ex modo concipiendi non dantur priora.

PROBATUR III. Quia omnia alia prædicata, per quæ ab aliis definiri solet subsistentia, revocantur ad prædicata, quod signum est illam procedere per prima, includereque radicem reliquorum. Et ita definitio illa subsistentiæ est terminus seu complementum naturæ, coincidit cum datâ definitione, quia sicut totum per Aristotelem, est id, cuius nihil est extra, ita idem terminum defin. ens, dicit esse ultimum cuiuscunque. Revocatur item definitio Boëtii per substantiam individuum, intelligendo incommunicabilem alteri per modum partis. Revocatur definitio illorum qui subsistentiam definiunt per negationem unionis ad perfectius, si enim natura habet rationem totius, pars non est, si pars non est, nihil est in illo subsistente, quod sit perfectius cui illa uniri deberet. Non utor tamen hac definitione, quia procedit per prædicata negativa quæ in ente positivo non sunt prima.

ADDENDÆ HIC SUNT auctoritates PP. subsistentiæ Trinitatis per esse totius & perfecti explicantium. Talis est locus Nazianz. de fide Orat. 49. Col. 1. inter medium & finem ubi dicens Filium esse de Patre inquit *totum de toto. integrum de integro, perfectum de perfecto.* Hilar. lit. 1. de Trinit. Column. antepenult. *Patrem in Filio & Filium in Patre esse, plenitudo Divinitatis in utroque, perfecta est.* Athanas. Orat. contra Gregal. Sabel. *Univerſa plenitudo & integritas Deitatis, est Pater ut Pater, univerſa item plenitudo Deitatis, est Filius ut Filius.* Et tamen hæc reduplicaciones de personis indubie procedunt. Damasc. lib. 1. de fide c. 10. *Non ex tribus imperfectis unâ perfectam naturam compositam intelligamus, sed in tribus perfectis Personis unam simplicem substantiam, super perfectam, & ante perfectam.* Quem locum pulchre commentatur Ruiz. Disp. 30. de 7. Substantia non dicitur ante perfecta quasi sit perfecta prius quam adveniant subsistentiæ, sicut non dicitur super perfecta, quia perfectione superat subsistentias, sed illud ante & super dicitur comparatione cuiuscunque perfectionis creatæ. Theorianus tom. 11. bibl. Patrum ut cum citat Petav. lib. 2. de Incarnat. c. 3. n. 9. *Quid inquit est per se subsistens? quod per se est, non propter aliud, neque in altero habet esse, hoc est, quod non indiget aliquo alio extra se, ut existat.* Planè quasi phr. si nostra diceret, quod non habeat rationem partis in alio, sed rationem totius.

OBJICITUR I. Si subsistentia, est substantia individua, ergo quot sunt personæ, tot erunt substantiæ individua. Ergo in Divinis dabuntur tres substantiæ Divinæ, ergo & tres Dii individui.

RESPONDET I. S. Thom. q. 7. de potentia. Substantiam dupliciter sumi pro essentia, & hæc una in Divinis, secundò pro hypostasi, & hæc tres in Divinis, propter æquivocationem tamen, non debent dici tres substantiæ individua.

RESPONDETUR II. Neg. sequelam, quia ea quæ

ea quæ per connotata explicantur multiplicatis suis connotatis, non est necesse multiplicari secundum id quod dicunt in recto. Sic v. g. multiplicatis Paternitatibus non est necesse multiplicari secundum id quod dicunt in recto. Sic v. g. multiplicatis Paternitatibus non est necesse multiplicari entitates Patris, in relatione item transcendentali multiplicatis connotatis terminorum, v. g. effectuum & causabilium, non est necesse multiplicari ipsam entitatem causæ, & sic de reliquis connotatis, cum ergo à subsistentia, ratio substantiæ primæ, importetur nonnisi in recto, ratio autem totius pro obliquo, multiplicatis habentibus tribus rationem totius, non erit necesse multiplicari ipsas substantias, verè autem in Divinis dici potest, quod habeant tres rationem totius, neque enim ad se comparantur ut partes, quod si non sunt tres substantiæ individua, non erunt tres Dii individui.

INSTABIS. Natura divina prout condistincta à subsistentia non est universalis, ergo est individua & tamen non Persona. Ergo ratio Personæ non consistit in ratione substantiæ individua.

RESPONDETUR. Nomine naturæ individua duo venire. Primò ratio incommunicabilis alteri ullo modo, & hæc non competit naturæ Divinæ quæ communicatur tribus Divinis suppositis, & tamen ratio incommunicabilis, est ratio constitutiva subsistentiæ. II. Ratio individui supponit pro non divisibili in aliam entitatem; hæc ratio competit naturæ Divinæ, sed non constituit differentialiter Personam.

OBJICITUR II. Hæc definitio coincidit cum definitione Boëti quæ admitti non debet. Nam humanitas Christi est substantia individua naturæ rationalis, & tamen non habet Christus Personam humanam.

RESPONDETUR. Prædictam definitionem si rectè intelligatur admitti posse, nempe si nomine individui intelligatur natura, non illa quæ est indivisibilis in aliam entitatem, sed quæ nullo modo est communicata alteri.

INSTABIS. Formalitas illa quæ constituit subsistentiam, vel est totalitas prædicatorum essentialium, vel est aliqua alia totalitas, si est totalitas prædicatorum essentialium, Ergo natura humana Christi erat inassumibilis, quia implicat ut substantia prædicatis suis essentialibus careat. Quod si subsistentia importet aliquid aliud & non totalitatem prædicatorum essentialium, quæ illa totalitas est?

RESPONDETUR. Totalitatem hinc accipi prout est radix negationis esse partem, esse in alio &c. similia.

OBJICITUR III. Patres ordinariè explicant subsistentiam per naturam, una cum accidentibus sumptam.

RESPONDETUR ad explicandam subsistentiam, assumi accidentia, tanquam aliquid

notius, non tanquam quidditativum quid, ad eum modum quoad explicandam individuationem accipit S. Thom. materiam signatam, non nisi tanquam aliquid notius.

OBJICITUR IV. Si persona esset substantia individua prout habet rationem totius. Ergo quoties mutatur ratio totius ut mutatur in omni nutritione, toties mutabitur Persona.

RESPONDETUR. Probaturum hoc argumentum quod toties mutetur ratio paternitatis, quoties mutatur entitas Patris qui est Pater. Directè autem dici potest quod quoties mutatur ratio substantiæ individua, secundum quod individua est h. e. quoties ex incommunicata, communicata, ex tota in rationem partis transit, toties mutatur Persona, licet non mutetur mutatione alia posita.

ADDO HIC ad non pauca solvenda, quod aliud sit habere naturam totam & aliud habere se illam per modum totius. Nam humanitas Christi est tota, non tamen habet rationem totius, hoc autem quod habet rationem totius, illud est subsistens. Et sicut quando gutta A & gutta B. uniuntur utraque est tota, nec habet rationem totius, ita & in præsentī.

Punctum Difficultatis 2.

De Distinctione Subsistentiæ à Naturâ.

DURANDUS & HENRICUS distinguunt subsistentiam à natura, sola ratione, ita sicut distinguitur ens & entitas. Scotista distinguunt illam ex natura rei, & per certas quasdam negationes quas duas ponunt. Primam negationem aptitudinis ad dependendum ab alio, tanquam à supposito, quam negationem quia non dicit anima separata, non est Persona. Secundò negatio quam dicit substantia, est negatio actualis dependentiæ, ab alio supposito, quam negationem, quia non dicit humanitas Christi, fit, ut non habeat propriam Personam. Modaliter subsistentiam distinguunt ex nostris Suar. uterq; Valsq. Lugo Realiter simpliciter distinguunt Hurtadus & Arriaga.

I. SENTENTIA in hoc habet difficultatem, quia si subsistentia & natura ante actum nostri intellectus non distinguantur. Ergo nemine cogitante, quidquid competit uni, competit & alteri, aliàs si non competeret, ergo ratione illius non competentis, idq; nemine cogitante, aliteratem habent adeoq; distinctionem. Porro nemine cogitante competit naturæ assumi à verbo, ergo & personæ competit assumi, cuius oppositum fides docet.

II. SENTENTIA in quantum recurrit ad distinctionem ex natura rei, alias jam refutata manet, in quantum autem recurrit ad negationes non satisfacit. Tum quia huius negationis talis, debet ostendi aliquod positivum fundamentum, & hoc potius salvabit rationem Personæ. Si enim illi negationem divisionis in plura, dicunt fundari in aliquo positivo, consequenter etiam hic

idem